

1576 præda omni jam dissipata atque absumpta, & cum iis agendum, qui, calcatis legibus, metu justitiæ posthabito, dominorum jugum excusserant; popularem seditionem veriti, celerissime discessere, cibarium inopiam, quod arcte nimium a Theupolo Senia circumfideretur, causati. Seniensium non modo, verum etiam totius illius regionis tractus incommoda ejusmodi erant, ut necessitate adauctus aliquod rebus præsentibus auxilium ferre Cæsar cogeretur. Quocirca oratori Veneto scriptum exhibuit, in quo optimam in Rempulicam voluntatem testatus, nihil se æque cupere, quam ut earum dissensionum seges auferatur, affirmabat; Senia, qui ære publico non mererent, emissurum; reliquis, ne ad vitam raptò agendam necessitate impellerentur, stipendia assignatum iri: denuo quatuor legatos ad ablata restituenda mittere se decrevisse; præfectum, quem Uscochorum latrociniis favisse perhibebatur, amovere, aliumque sufficere; ex Uscochis insigniores duodecim Lubianam perducere, ut meritas poenas luerent, enixurum.

*Franciscus
Bonavidius
Memiam
navem
cri-
pit.*

*Joannes
Baptista
Contareno
Bonavidii
triremem
capit.*

Dum piratarum insolentiam vi atque officiis reprimere Patres conantur, quamvis superiore anno quantam ex turbata navigatione molestiam percepisset, Philippus abunde patefecerat; attamen avaritia infensoque Francisci Bonavidii Hispani animo dissensionum causæ rursus emersere. Is enim quatuor, quibus præerat, triremibus in orientis maria delatus, Memiam navem Byzantio redeuntem diripuit. Verumtamen partæ prædæ brevem admodum lætitiā tulit. Nam maris tempestate in Creticum mare abreptus, a Joanne Baptista Contareno, custodiæ regni præfecto, triremi capta, vivus ipse in illius potestatem pervenit; ex quo & multum Contareno laudis accessit, & haud parum timoris iis est injectum, qui, gentium jure neglecto, maria infesta reddere summo mortalium detrimento nitebantur. Ejus rei eventum quamvis summopere publicis rebus conducere Patres intelligerent; nihilominus exinde, ni prudentia adhiberetur, dissidia exciri posse conjectabant; dum hinc Philippus liberare Bonavidium contenderet, inde Selymus captivum una cum triremi sibi tradi flagitaret, poenas ab Hispanis de illatis Mussulmanis injuriis damnisque repetiturus. Igitur in re ancipiti minime cunctandum arbitrati, cum Philippi legatus Bonavidium libertate restitui obnixè petiit-